3me

MARCI PIALES-DAXTREZ

SOUCEYRACENSIS APUD OLDENSES,

Internæ Monspelii Clinices Præfecti, ac medicæ Societatis Membri,

CONSPECTUS

PHILOSOPHICO-MEDICUS

DE

CLIMATIS INFLUXU,

TEMPERAMENTIS SPECTATIS;

Almæ Monspeliensium Medicorum Academiæ subjiciendus.

> *Usque adeo rerum causæ atque exordia prima,*
> *Et cœlo variare et longo tempore possunt.*
> FRACAST. syph. lib. I.

MONSPELII;

Ex Typis JOANNIS MARTEL natu majoris, ad Aulam Præfecturæ.

ANNO M. DCCC. IV.

DISSERTATIONEM PROPUGNABAT AUCTOR;

ADSTANTIBUS PROFESSORIBUS,

G. J. RENÉ, Scholæ Rectore.	Medicinæ legalis, et Historiæ Medicæ.
P. M. A. BROUSSONET, plantarum horti rectore.	Botanices.
C. L. DUMAS	Anatomes, Physiologiæ, et morborum opinione insanabilium.
G. J. VIRENQUE	Chimiæ et Pharmaciæ.
P. LAFABRIE. . . . . J. L. Vict. BROUSSONET. . . .	Internæ Clinices.
J. POUTINGON. . . . . A. MÉJAN	Externæ Clinices.
J. B. T. BAUMES.	Nosologiæ et Pathologiæ.
J. N. BERTHE.	Therapeuticæ et Materiæ Medicalis.
J. M. J. VIGAROUS	Institutionum Medicarum et Hygienæ.
A. L. MONTABRÉ	Medicinæ operatricis.
J. SENEAUX.	Artis obstetricæ.

PROFESSORIBUS HONORARIIS,

P. J. BARTHEZ, ex Cancellario, tunc Archiatro.

A. GOUAN, Botanices ex-Professore.

H. FOUQUET, Internæ Clinices ex Professore.

J. A. CHAPTAL, Galliarum Ministro, et Chimiæ ex-Professore.

OPTIMO.

ET. IN. ÆTERNUM. COLENDISSIMO.

PATRI. SUO.

MEMORIÆQUE. MATRIS. ORNATISSIMÆ.

ÆTATE. FLORENTI. HEU.! SUBLATÆ.

UT. PIETATIS. MONUMENTUM.

HÆC. DE. MEDENDI. ARTE. TENTAMINA.

DICAT. VOVET. CONSECRAT.

M. PIALES-DAXTREZ.

4me

PRÆFATIO.

EQUIDEM istius auctor opusculi, de generali Climatum influxu copiose dicere statuerat; ac de proposito diligenter inquisito rerum sylvam comparaverat, notionibus jamjam acquisitis, planius et melius ordinandis. Ardui vero suscepti labor, temporis locique ratio conatibus nostris obstitit, et ad adumbrationem duntaxat exponendam nos vehementer impulit. Conferendo tributo Professorum illustrissimorum probatio movi si posset, tabulæ productæ complementum forte alias alio molimine tentaremus.

Non quia illustrandum præterierunt Philosophi, Climatis studium amplexi sumus; sed id quoque colendum putamus propter auctorum lites, materiæcopiam, lacunas adhuc explendas, et methodi analiticæ progressus. Hoc etenim nemini video neotericorum jamjam contigisse, ut Clima sub ejus innumeris respectibus indagaret. Verum etiam ex doctrina, partibus omnibus instituta, scientia hominis, populorum indoles, perficiendi intellectus humani progressio, rei politicæ systema, sub intuitu meliori certe equidem ostenderetur.

4me

CONSPECTUS

PHILOSOPHICO-MEDICUS

DE

CLIMATIS INFLUXU,

TEMPERAMENTIS SPECTATIS.

I.

QUAMQUAM iisdem facultatibus ubique terrarum gaudens, in illoque cœteris animantibus impar, diversis vero regionibus, homo semper denuntiavit differentias in se ipso pernotandas. Varietates istæ, cœli discriminibus consonantes, rerum naturæ indagatoribus, ad climatis influxum referendæ videbantur. Etenim quidam tum sylvosis vel aquosis montibus, cum locis palustribus analogi, *Hippocrate* docente, recensentur. In Asia, pergit medicinæ princeps, frigore vel calore pervalido æque libera, regioneque mitissima, benignitatem, mollitiem et ignaviam ubique afflante, imbellia, et ad obedientiam nec non voluptatem propensione, plane exprimuntur populi mores: dum *Sauromatæ* terrra excelsa, spirantis boreæ sub imperio positi, rudes, immansueti, bel-

licosi, liberi, jurisque sui subditi, labores et militiam læte ferunt; et audacia, potentia, virtuteque præstant. Apud illos etiam, mulieres multo validiores, virginitate non deposita, bellum gerunt, *Martis* genio corporis elegantiam sacrificant, et acta militaria inter illecebras formosissimas innumerant. Contra vero planitiei aquosæ et frigidæ habitatores, tristem vitam degunt *Scythæ-nomades;* namque isti crasso humidoque habitu, nec dotibus animi, nec virtute corporis ornantur, aut etiam amoris voluptates capere nequeunt.

II. Climatis effectus tam multiplices, varii generalesque patent, ut in illis studendis, ex methodo recte instituenda, nec modo parvum lumen, nec subinde minor utilitas evadat. Quapropter editis hactenus partitionibus, ut insufficientes vel inutiles prætermissis, ampliores accuratioresque alias proponere licebit. Etenim septuplex considerandum clima nobis videtur: nimirum glaciale, *frigidissimum;* boreale, *frigidum ac siccum;* vernale, *temperatum;* æstivale, *siccum ac calidum;* australe, *calidum ac humidum;* torridumque, *calidissimum.*

III. In proposito tractando, animus est nobis analitice progredi, clima abstracto modo primum considerare, aliena strictim distrahendo, et subinde ipsius influxum modificatum perpendere. Quapropter physicam hominis constitutionem, (1) in quaque terrarum partitione modo exponere juvat; ex hac

---

(1) Variarum plagarum incolas explorando, et in exemplum homines non societate potitos quam potissimum afferendo, laudatorum et recentiorum auctorum tabulas accurate seligam, quamvis brevitatis, lucisque causa, nomina taceam.

consideratione climatis facultas inferius effluet; detectorum effectuum ordinatione desinet opus, nisi temperamentorum influxus, forte et transeundo, nobis occurrat.

IV. Suppolarium regionum habitatoribus facies tetrica, perexigua statura, moresque tam rudes, quam sunt horridi vultus. Tales invisuntur Groenlandiæ, Zembliæ populi, Lappones, Samoiedi, *Ostiaks*, etc. Habitus corporum eorum, quamquam in tanto hominum numero, idem omnibus patet.

Namque nullis exceptis, capitis amplitudine minimo corpori repugnante, animi stupiditate, morali et physica insensilitate plane adumbrantur. Dumque aliquorsum sensuum acuitatem, ingeniique sagacitatem, hic hebetudo, debile temperamentum significat. Ea sunt alia signa caracteristica: labia prominentissima, nasus compressus, os quasi complanatum, tum flavo, tum caliginoso colore pertextum. Alioquin spurci, vecordes sunt isti, timore vivide perculsi vel Magos venerantur, vel in calamitate contra Deos irantur. Societatis commoda prorsus ignorantes in pererrationes pabuli necessitate continuo impositas, tantum militares præpositos, absque lege sequuntur. Venereis voluptatibus in juventute despectis, mulieres barbara potestate premunt, et premuntur ipsi, urgente senectute, scorbuticis putridisque morbis, lethum eis vulgo afferentibus.

V. Minoris rigoris sub cœlo boreali patientes majorem corporis dignitatem præseferunt homines. Etenim facies honestate, artus robore, virtute animus, solertiaque multo magis in illis elucescit. Si ex Islandia, olim scientiarum patria, ad Germaniæ mediam usque et alias, populos accu-

rate perlustras, climate boreali spectato, viri occurrent tibi; quorum media corpus statura, torosum extat: capilli ex rutilo plus minusve nigrescentes, rectique, irides fusci, humeri lati, coxæ obesæ, tibiæ tamen varos indicantes, satis generosam nobilemque hominum stirpem denuntiant...... Belli patientes et contemnendis quam cavendis hostibus meliores, principibus ingente potestate regentibus obediunt. Positarum legum auctoritatem agnoscentes, religiosi cultus sagorum et vaticiniorum magis experti, veri sectatores, venustati imperio non aversi, primordia societatis omnia, virtutesque omnes sed tantum inchoatas monstrant.

V I. Humidorum ac frigidorum climatum (Daniæ, Fenoniæ, Scandinaviæ, partim Russiæ, Bataviæ, Angliæ) incolis, proceriora corpora, albidaque et carnosa, fere omnibus patent: nec non rutilæ comæ, cœrulei oculi, faciei, totiusque habitus dignitas et recta dispositio. Attamen crassitudinis et obesitatis causa, cœli borealis habitatoribus vigore inferiores, laboris minus potentes, lento gradu properantes, genium triste, morosum, alacre patefaciunt: morbis catharralibus, pituitosis, calculosis, hydropicis, verminosis quam plurimum cruciantur...... Morum vero simplicitatem et integritatem sequuntur, scientias veras et consuetudines sociales sat faustè sectantur: et de re politica ministranda æquas moderatasque leges instituerunt. Cæterum aliorum aquilonarium populorum instar, liquorum spirituosorum magni potatores, carniumque voraces, constitutionis frigidæ causa.

V I I. Locis æstu et frigore temperatis, dignitate et venustate præstantes viros natura finxit. Nam in gracili statura,

lineamentorum varietate, et recta compositionis partitione illustrata; nobiles gratæque formæ, nitentium colorum luce, oris præsertim harmoge adornantur. Et in illis motus velocitate invita gratiose librantur. Conquisitissima sensibilitas, voluptatis angorisque fons fecundissima, et animi dotes præclarissimi cum eximia corporis forma adjunguntur. Sed consuetudines, legesque sociales hic valentes, sensuum voluptate repugnantes, molestarum curarum in causa esse videntur. Philosophia neglecta, temperamenti et imaginationis influxus vitam misere regit. Hæc oppositio natura minus quam societate pendens, nerveos morbos longe propagat. Nam causa ista sufferri si posset, affectiones ex tempestatum mutatione prorsus exirent: et Germaniæ pars, Gallia, Italia, Hispania, antiquissimorum suorum habitatorum tantum dolerent ægritudinibus

V I I I. Æstivalibus climatibus observatis, videntur homines adusto colore, sed eximia corporis forma, gracili, elegantique statura, facie honesta, etiamque nigris comis et oculis. Sobrii, benigni sed sumptuosi, superbi, voluptuosi, zelotypiaque longe laborantes; otiosi vindicta verum cupiditate satagentes; lenti, multo tamen sensiliores majorique imaginatione gaudentes. Ad scientias pronos natura finxit eos, sed ab earum cultu mollitie receduntur; nec non sententiâ summam felicitatem in impassibilitate ponente. Artes mechanicas, amictui inservientes, ob luxus amorem sat faustê colunt. Potestatibus politicis ad extremum allatis plane ferunt, propter characterem et summæ monarchæ venerabilem apparatum (adeo in animum pollent, judicio præs-

tantia) salubris aer, victusque ex seminis vegetis desumptus permultis morbis liberant. Exardescens attamen calor populares morbos aliquando gignit, et multifariæ voluptates præmaturam senectutem adducunt. Sic se habent in Indiæ, Persæ, Arabiæ, Turcarum imperii parte.

I X. Sed si homines regionibus calidis ac humidis (Sardiniæ, Ægypti, Americæ partim meridialis et occidentalis *v. g.*) attente perspiciuntur, altitudinis mediæ corpora, obesitate relativa, oleaginoque colore in conspectum generatim venient. Alterationis humanæ faciei, prima lineamenta, vultus depressionem, incohatam, vocem exiguam quasi præfocatam, capillos nigros, languidos oculos, articulos vix discretos, in illis præsertim pernotant. Imbecillitate, timore, tristitia, melancholiaque confecti, segnes, somnolenti, labore aversi, artium ignari et crassi, alienorum imperio pressi visuntur...... Frigidorum ac humidorum climatum morbi hic cum indole biliosi grassantur: putridis, insidiosis, larvatis, pestilentialibus febribus, nec non exanthematibus, obstructionibus, herniis tabula malorum adimpletur.

X. Zona torrida jacentes, climatum meæ ultimæ classis incolæ, cum polaribus gentibus ore fœdo, corporationeque deformi, magna ex parte congruunt. Etenim iis sunt crispæ et crinatæ comæ, perexiguæ nigræque luces, nasus elisus, facialis lineæ declinatio, ob maxillarum labrorumque projecturam, depressi, lati et rugosi vultus, exiles, reflexæ corporis imæ partes. Tabula perficienda, vox rauca, ater color, habitus unctuosus, debilis, odor fœtidus, depilatio addenda sunt. Constitutionis corporeæ insensilitas sopore continuo,

liquorum spirituosorum appetentia, stupiditate, apathia, et vitæ quodam modo oblivione coexistit. Nihil nisi amoris voluptates tam facile adeptas, et otii delectationes sectantur. Sub defraudationum, vexationum imperio, servitutis perfacile assueti in his locis vivunt indigenæ: ast in vindicta crudeles, feroces, astuti etiam (quod debilium hominum est) aeris calore, complexionis debilitate, venereis libidinibus, pestes, convulsiones, affectus syphilitici, valde præmatura senectus sæpe-sæpius producuntur: ut videtur in Gambea, Nigritia, Congo, Guineis, Antillis, etc.

X I. Climatum varietates recensendo, minori, fœdaque corporatione, ambientibus minime solitis, sed insolitis maxime affecti, primum advenerunt homines. Deinde validiores populos, vi causarum reapse nocentium stimulorum quorumlibet parum commotos invenimus: frigore medio tonicam facultatem, aerisque salubritate, temperamentum corroborante. Tum atmospheræ humiditate telæ cælularis absorbtioni favente, nulloque modo perspirationi, viri crassi, obesi, lenti, proceres, ad artes proni observati fuerunt. Præterea temperato climate indagato, corporis et animi virtutes, magis patefactam sensibilitatem adnotavimus. Denique æstivalium climatum habitatores dum animo perpenderem, honestæ formæ, os benignum, mores mansueti, luxus amor, corporis inertia et hebetudo generatim perspiciebantur. Deinde obesitate, deformitate delineata, oleagino colore, debilitate, melancholia, morbosaque dispositione præseferentes intuebamur. Statura exiguos, forma turpes, stirpe nigritas, inertes, somnolentos, et veneri deditos, denique tandem reperimus.

XII. Porro si climatis agendi rationem deveniamus, a sensibilitatis corporeæ perceptione locum tenere forte videbimus. Namque ambientia corporibus diversos modos præbentia, ex ipsorum natura, primum sensus afficiunt; hominum vero indoles, temperamentumque ex immissis sensionibus evadit (1). Sic inconstantes varia sensationum, consimiles æqualis deprehensio homines aperte facit. De causarum intus positarum actu item est: et juxta eorum naturam, ingestis, organa interna bene vel male concitantur. Quamobrem saluberrimorum alimentorum gestientia, insanorum vero desumptio lenta animalia reddit. Itaque in festis æpulantes læti videntur artifices, etc. Agendi modus aeris frigidi vel calidi, humidi vel sicci, tum ventosi, tum corrupti, impressioque ingestarum, (climatis influxum includentes) organis varie modificantur, sensionum mandatorum ope, et temperamentum corporis fingunt.

XIII. Sed si naturam hominis sentiendi modus tenet, ex sensibilitatis indigatione functionum et temperamentorum systema melius elucebit. Jamjam præmissis ergo fretus, se-

---

(1) Theoria nostra Cl. BORDEVIO de sensibilitate dicenda, innixa versatur. Namque attente si legas illius opera, præprimis de morbis chronicis et de sensu dissertationem, in academico medicorum thesauro illustrissimi Professoris Victoris BROUSSONET studio nuperrimo editam; non solum nobiscum analogia quædam, remota tamen, sed etiam *sensibilistarum* hodiernorum scientia tota tibi occurrere videbitur. Transire minime licet quin meritissimo præceptori nostro V. BROUSSONET, gymnasii clinici præsidium et gloria, pro curis sollicitudinibusque benevolis, ac ex prælectionibus egregiis fructus recepti causa, referendam gratiam publice eloquar.

quentem nomenclationem proponere audeo. *Apathicum* scilicet, athleticum, lymphaticum; sensile, irritabileque temperamentum: ex quibus unum cuique climati assignare juvat.

XIV. Clima glaciale temperamentum ex apathia, inertia, debilitate, latente sensibilitate delineatum, sibi vindicat. Modica statura, ex sensionibus nimis molestis ut exeat corporis incrementum clare pendet. Minima vero sensibilitas, ex per-continuo eodemque ambientium influendi modo devenire adparet; plane etenim, sentiendi facultatem, stimulis semper ipsis obtundi non ignoramus. Hebetudo frigore vires ad centrum et absque retrocessu divertente producitur. Hæc motuum inter se librantium negatio, nutritioni opponitur, et tristes effœtos nerveosque affectus suscitat. Alimenta generatim pessima regioque aspera, organa male concitantia, operosasque perceptiones inferentia, genium melancholicum peraugent quam maxime. Debilitas corporea, sensibilitatis latentis socia semper, stimulo ordinario, sensuum actioni obstat, sed vehemente causa, pervividam reluctationem educit. Nam in animalium mollitie notatorum serie, irritabilitas, causa insolita evolvitur, dum mediocris stimulus ex sopore ea non suscitat. Habitus color, plus minusve nigrescens, sanguinis lentissimo circuitu capillari, et cutis stimulos pervalidos renixus negatione contra, nec non perspirationis cutaneæ difficultate, forte felicius explanari posset.

XV. Climatis torridi idem est temperamentum, sed causa aliquatenus opposita. Corporis debilitati, atroque colore, constante experientia, ansam præbet sol exardens. Ad peripheriam corporis vires vergunt, nec intro repelluntur, quod

prævizæ dispositionis contrarium. Una cubantes, otiique studiosissimi, corpore semper aperto, stimulo venereo præmature percutiuntur, viresque in voluptatem effundunt jamjam adolescentuli. Nigritæ e spasmo in atoniam rapide evehuntur: adeo actioni continuæ repugnat debilitas. Inde inertia, somnolentia, victus facilitate peraucta, nec non vindictæ, vel studii solliciti origo (1).

XVI. Ad clima boreale, athleticum temperamentum spectat. Proceriore statura, vivido colore, robore; systematis sanguinei prædominio, sensibilitate patente magis gaudet istud. Raro, tardeque et distanter, organorum impressiones excipiuntur; quapropter constantes, firmioresque patent motus omnes. Sensionum distantia stabiliores eas efficit; namque dum non novis subitaneisque turbantur, determinationes permanent. Frigore temperato, reactionis vividæ causa, necnon aeris salubritate peraucta tonica facultas, systematis expansioni et incrementi longe favet. Hic solitis vitæ stimulis satis semper concitatur sensibilitas, ut functiones omnes perficiantur; sed nimis nunquam ut insolitis causis, vivens œconomia revolvatur. Hinc longævitas, tranquilla desideria, voluntatis firmitas.

XVII. Climati autumnali temperamentum lymphaticum assignamus, scilicet redundante, albidoque corpore, systematis lymphatici prædominio, in functionibus omnibus tar-

---

(1) Ex latentis sensibilitatis distinctione, antropophagorum mos satis non elucesceret; sic addendaque causa, victus inopia, in desertum dum bellum gereretur, nec non belluas expugnandi necessitas.

ditate, ad scientias tamen aptitudine quadam constante. Atmospheræ humiditas telæ celularis absorptionem nec non expansionem et laxum perducit: tempestatum tamen permutatio, externorum agentium rationem alternans, sensibilitatem exercet. Et victus vulgo optimus, vivam compagem feliciter disponeret, absque perceptionum tristium consuetudine, e cœlo sæpe-sæpius nebuloso pendente.

XVIII. Temperamentum sensibile in climate vernali observatur. Virtute non exigua, exquisita sensibilitate, actionum omnium libertate et perfectione designatur; proclivitates, ideasque et genium fauste regit, et ad scientias, liberales præsertim artes aptitudinem efficit. Temperatus calor, tempestatumque per se salubrium ordinata successio, actu continuo vitæ facultates expandunt, varie sensibilitatem evolvendo. Vini temperatus usus, serenus aer, læta regio, alimenta sana, æque nutritiva et stimulantia, faustas organorum determinationes generant.

XIX. Duplex existit irritabile temperamentum; ex adynamia nimirum, veluti in australibus climatibus; vel ex nimia patente sensilitate constat, æstivali climate, exempli gratia. Hoc formositate habitus, comitate, ad otium propensione, voluptatum, luxus studio, plane innotescit. Caloris æqualis moderatio vivæ compagis incrementum fauste adjuvat, nerveæque sensilitati, magis expansæ, longeque minus indutæ (ambientibus vulgaribus amicis) equidem quam plurimi favet, verum insolitorum stimulorum influxum auget. Victus vegetis seminibus desumptus, minime robustiores, sed longe humaniores homines facit, propter terræ dandos facile fructus et

illorum proprietates. Clima pulchrum, ex cœlo læto, terra ridente constans, sensionibus continuo jucundis, ad voluptatem advocat.

XX. Temperamentum alterum obesitate, deformitate adumbrata, *oleagino* colore, debilitate majori, melancholia, morbosaque magna dispositione notatur. Humiditatis calidæ influxum laxantem, solventem, sensus hebetare, morosas determinationes et obstructiones producere non ignoramus. Ast habitus colos ex systematis hepatici functione, perspirationemque cutaneam quodam modo supplente, ni fallit imago, pendet. Cæteroquin temperamentum ex adynamia irritabile, magis ac magis apathico apropinquatur.

XXI. Sic temperamentorum series, successive gradariam, degeneremve sensibilitatis schalam constituit, cujus ultimi gradus utrinque conjunguntur. Temperamentum sensile, centri sentiendi facultatem emittentis instar extat; et hominum perfectio, juxta ipsius distantiam metiri potest. Hæc comparatio in climatum partitione analogiam invenit: eo magis ad vernale tendunt climata, quo salubriora et pulchriora evadunt. Natura semper typum sibi proposuit, ex quo plus minusve declinat, sed ad quem indesinenter reducitur.

De climatis influxum sufflaminantibus.

XXII. Si ultro se offerentibus, regioneque qualibet abunde sparsis, contentus homo vivere posset, semper et continuo vim propriam incutiens ipsi clima, genium suum et typum in habitatoribus perspicue monstraret. Sed societatis progres-

sus, et hominum ad perfectionem tendentia, voluptatum ægritudinumque fontes alias instituerunt. Intellectus facultatibus expansis, necessitates novæ mox exierunt (hæc duo vulgo properant) : inopia et industria vel indigenos convertit, vel exoticos productus sibi vindicavit. Vivendi modo penitus mutato ex sensionibus aliis, alia judicia manarunt. Incitata aliter organa, modos novos acceperunt et constitutionem alteram induerunt. Talis climatis modificationum circa temperamenta versatur origo.

XXIII. Organorum mirabili compositione, et perfici facultate, homo ergo sibi res permultas, tum utiles, tum suaves usurpavit, quas natura sæpenumero prius indicaverat, verum quæ a naturali statu hominem amovere; et hæc, mea quidem sententia, abstracto climatis influxu jamjam indagato, nunc dicenda sunt.

XXIV. Sublimi naturæ conspectu mirati, in operibus illius mox Deum agnoverunt. Ex rerum intuitu nata fuit religio. Sensui isti ad venerationem, admirationemque inferenti dum obtemperabant, divas imagines forma ingentibus objectis non dissentientes, sibi finxerunt; rebus delectantibus quam plurimum selectis. Sol et luna præprimis, apud suppolares; valoris bellique signa boreales inter; quercus in Galliam, Germaniamque; elationis simulacra (aquilæ) apud Romanos; Nilus in Ægypto; Indus in Asia, et generatim sol inter gentes agricolas, altaria numinis occupavere. Expansione liberali favente, religiosi cultus increverunt monumenta : Benignitas (divinitatis character), hominum benefactores omnes, inter Deos collocavit. Sed timor aram suam

quoque vidit. Venerationis genus receptum, sensus quosdam expandit, compressit alteros, prout naturales proclivitates: et Ægyptios timidiores, audaciores Romanos, Græcos benigniores, Asiaticos voluptuosiores effecit.

Tum ex climate nata antea religio illius influxum versare cœpit; et sensiones alteras et ideas novas injiciendo, consuetudines, judicia, temperamentumque modificata fuit. Et (gratiæ immerito referendæ causæ) omnium timendorum vel delectantium apotheosis facta fuit (1): ad morum dissolutionem, theogonia innixa proclivitates contendebant, cum sublimia et diva statuta ad dignitatem primariam hominem advocavere. Christi religio, gravitati hominis accommodata, ingenium uniforme inter populos societate politos, instituit; mores barbaros delevit, principum cupidines freno pressit, humanaque abolevit sacrificia; in sensuum cordis theoriam lucem intulit, et societatis nexus strinxit. Sensilitate varie exercenda, cupidinibus compescendis, cogitationis campum extensum fuit, et vita dramaticum multo magis adparuit: quod, transeundo dicam, nerveos morbos longe propagavit.

XXV. Suntque divini alii cultus, quamquam ad clima pertinentes, qui hujusce virtutem sufflaminarunt, dum re-

---

(1) On ne voyait plus dans le paganisme vieilli que les fables de son enfance, l'ineptie ou la méchanceté de ses Dieux, l'infamie et les vices des Rois qui soutenaient ces Dieux et leurs prêtres. Alors le peuple qui ne connaissait que ses tyrans sur la terre, chercha son asyle dans le ciel...... Le Christianisme vint le consoler... *Raynal*, hist. philos.

giones in longinquas translati fuerunt. *Foe* judici veneratio; v. g. Sinensibus recepta, et sane Mehemetis disciplina, ad nullum clima plane referenda, quæ Persarum, Indorum, Græcorum præsertim temperamentum mutavit. Certe equidem tonica quædam interdicta aliaque naturæ nocivæ in usum missa; mulierum servitus, gubernium durum, acre et iniquum, passiones permultas et morbos innumeros suscitarunt.

XXVI. Summarum potestatum, et vis et necessitas fundamenta posuerunt. Tunc primum proclivitatibus naturalibus regebantur homines, et magistratus potentia dumtaxat in belligerando patebat. Sed numerosis congregationibus, positivæ leges brevi necessariæ disjudicatæ fuerunt : legislatores tum populo electi, tum victores, tum reges recepti, juxta suam propriam mentem, plus minusve concinnatam, rem politicam instituere. Variæ ministratæ gentes, summarum potestatum genium induerunt quodam modo. Republica viventes contentiores, audacioresque, subditi contra humiles serpentes facti fuerunt : tunc temporis sufflaminata fuit climatis actio. Lacedæmoniorum temperamentum, primario sensile, characterem torosum cœpit; Athenienses leviores et sensiliores fuerunt; Anglia antea Britannis, Norvegiæ, Saxoniæ gentibus, alternatim in ditionem subacta, constitutionem pituitosam exuit, et alteras partes in lance politica tenuit. Nam victorum audacia gubernium liberum positum et conservatum, in populum etiam subditum, quodam tempore elapso, prorsus infusum fuit. Libertatis enthusiasmos, magnatum ambitione repugnans, dissentionum civium causa, ali-

ter animos et organa concitavit, morositatem, suspicionem genuit, aliosque mores et aliud temperamentum enasci jussit. Consuetudo postea sæpe-sæpius indidem organa movendi, functiones ipsas perfecit, et effectus quosdam, circumstantiis discrepantibus primum pendentes duxit, statuit, confirmavit (1).

XXVII. Quam maxime gubernii imperio, patiuntur hodierni Græci! Olim bellicosi, sensibilitate eximia præditi; majestatis, formositatisque archethypus, sub tyranni potestate, heu! nunc miseri vivunt: inde debilitas, morbi epidemici, et felicissimi climatis effectuum excidio. Turcarum attamen barbaræ leges, ingenii quondam celeberrimi signa, comprimere sed non delere potuerunt. Religionis differentia id præsertim producit et conservat.

XXVIII. De rei politicæ influxu mirabile exemplum affert historia neoterica. *Petro* magno regnante, ab ignorantia, et ut ita dicam ex nihilo, emerserunt Moscovitæ, Europæque politicam lancem movere cœperunt. Tum sana et recte accomodata legum institutio, cœli asperi actionem sustulit: scientiæ et artes cultæ fuerunt; et formationis socialis progressus magnatum regimen, mulierumque servitutem diruere. Jamdudum corio non exuendi sunt de quibus agitur

---

(1) Dici posset, ut Angli cum infantibus strumis laborantibus, sed in pubertatis stadio salubrem conversionem probantibus, aliquatenus consonent. Sanitate et virtute gaudent per juventutem, qui olim strumosi fuerunt; attamen gnatos debiles gignunt, et urgente senectute, morbis nerveis, melancholicis, hypocondriacis cruciantur.

populi, ut doloris signum edant, sicut jocose certe equidem narraverat philosophus; sed magis ac magis fiunt sensiles; quod morbos nerveos jamjam ad illos valet. Cæteroquin ad Russiæ instaurationem permultæ concucurrerunt causæ, sed gubernium hæc in actum redegit omnia.

XXIX. Variorum populorum irruptionibus occupationibusque, ars belli, constitutionem physicam gentis influit, ut si necessarie, facile probaretur. Nam vis sensu victores superbiores, validiores robustioresque fiunt, dum imbelles et humiles adparent victi, et alienas leges moresque, domitore jubente, primum accipiunt, sed subinde sæpe-sæpius victi populi jura et civilia instituta victoribus adoptantur.

XXX. Militiæ et debellandi disciplina in militum mores infunditur gentiumque characteri modificatur. Tantum differt mercenaria cohors a civium agmine, quantum militare imperium (sicut hodie generatim Europa) a summa potestate alienis fulta (Carthaginenses, in 14.mo sæculo Europa *v. g.*): nec minus discrimen expugnandi modo manat: pedites vim corpoream, sed equites dexteritatem colunt. Recentior belligerandi methodus, ingenii animi, celeritatisque magis quam corporis virtutem poscit: quod, transeundo dicam, a barbarorum irruptione, diutius Europam tuebitur.

XXXI. Dupliciter artes mechanicæ hominis temperiem permutant; in artificibus scilicet, et in his qui artium productus sibi arrogant. Curæ sedentariæ morosos, mobiles, mulierum simile temperamentum efficiunt: peculiari atmosphæra opificina quæcumque, hominem ambiendo, indesinenter corpus obsidet, et agitat. Hinc lanii ferociores, tinc-

tores, liquorum extillantes debiliores: idcirco sanguinis fervorem ebrietatis proximam, ferrarii, vitreique fabricatores excipiunt.

XXXII. In his qui fabricarum proventus sibi vindicant, quoad vestes, ædes, potus præparationes, usus, effectus adnotandi sunt. Namque ex more regente, instituta civilia, publica vel peculiaria plane evadunt; hisque temperamentum constat.

XXXIII. Intellectum regendi methodus, rerum faciem varians in organorum determinationes dominatur, naturalesque propensiones submittit: pro ratione ista musicus et dialecticus, Geometra et Poeta inter se toto cœlo discrepant; ob eamdem causam hominum investigationes, inventionesque, cum auctorum genio proprio semper consonant. Generatim studiorum consuetudo, sensibilitatem amplificando, musculorum systema debilitat. Verum poesis, pictura et musica præprimis sensibilitatem exercent, perficiunt, alienationesque mentis producunt.

XXXIV. Peculiares ingeniorum aptitudines, prius genuit clima; et satius Italos pictores, Germanos mechanicarum studiosos finxit, sed spiritus expansio climatis actionem subinde convertit. Græci cœli potentia ad poesim et sculpturam sane primum, habitatores tetendit: nam hæc insita dispositio ab eximia sensibilitate penitus pendet; sed per quoddam tempus valuit dumtaxat: quo elapso, ac si exercitatione perpetua extincta sensibilitas fuisset, vel alio modo stimulari peteret, abstractæ disciplinæ, physica scilicet, dialectica, mathesis, mentis campum invasere. Fere eodem modo pro-

greditur semper hominum intellectus. Naturæ phænomena rerum indagatoribus primum observantur, notantur, subinde poetis celebrantur, tum sensibilitatem amplius parum movent. Postea rursus observant philosophi, nova phænomena inquirunt, indagant, exponunt; et linguæ Divum magicen miracula alia detecta reproducunt.

XXXV. Galli ante Ludovici XIV regnum, Græcorum notiones circa physicen præprimis colebant; et tantum artes imitatores fauste assecuti fuerunt, cum satis continua exercitatione evoluta fuit sensibilitas. In ævo decimo octavo ratiocinari, et philosophari cœperunt majores nostri, dum sentiendi facultas ad intellectum pertinens, perspicue imminuebatur. Et in tempore præsenti chimia, mathesis multomagis splendent quam præclaras artes. Musica solummodo in honore videtur, ob illius antiquam incuriam, et sensiones nondum sensu expertas. Facile tamen videre est ut hodierna musice, aliarum disciplinarum instar, docta, implicata prostet. Sic tantum musicus versatus melos recte sentire pollet.

XXXVI. Ast censeo naturæ indigatione, novo modo sensibilitatem stimulari; tunc tunc miracula alia, aliis poetis Augusti Cæsaris ætatis reproducti, digne decantabuntur. Sic merito dixit quidam :

Les Homeres et les Virgiles
Peuvent encore être effacés.

XXXVII. Victus rationis influxio permulta in compagem viventem, medicis semper observata fuit. Jamdudum novimus substantias fere omnes, organorum quorumdam augere, aliorum functiones imminuere. Quamobrem tum sensi-

bilitas, tum musculorum vis dominari videtur. Hujus veritatis consequentiam late expandere possem, sed facta solummodo quædam referre sufficiet. Esculis crassioribus, pinguibus increscit robur: cafæo, chocolato et cæteris stimulantibus aromaticis, constitutionis irritabilitas satius evadit: alimenta prave digesta, aquæ crudæ, melancholiam, vel obstructiones ducunt: usus soporiferorum percontinuus, sensibilitatem directe, et musculorum vim indirecte obtundit, præmaturam senectutem et apathiam efficit. Hæc organorum depravatio actu quam maxime primum aucto et successive minori effluit; sicut opii sumptione probat phrænesia: et Indorum quorumdam melancholia laborantium exemplum, qui cannabi et opii extractorum copiosa dosi tam violenter excitantur, ut in transeuntes furiose irruant (1).

XXXVIII. Ex præmissis constat, ut in rerum humanarum primordiis, climatis influxio plenius exeat, tum temperamentis, tum institutis, tum civilibus animi dotibus spectandis. Ast vero cœli effectus hominum aptitudine concurrentes, societatum progressioni favendo, ipsius vires vario modo exinde compresserunt. Quapropter ex rerum ordine nunc existente, concludere est quod instituta civilia vel religiosa potius temperamento modificantur quam clima seipsum. Ex ipso intuitu consensus Europæorum prope omnium deduci potest. Nam leges, religio, mores, scientiarum studium, et alimentorum usus præparatioque in Europa tota vix discrepant, etc.

(1) Alios victus rationis effectus recensere potuissem, de saccharo *v. g.* cui debetur morborum permultorum præcuratio.

De influxu Temperamenti.

XXXIX. Percontinua causarum effectibus connexio in legum compagis viventis expansione præprimis patet. Homo in agentibus ad seipsum applicatis innumeros modos ubique reperit, et constitutionem physicam cum organorum determinationibus (vitæ necessaria et facultates assignantibus) consonantem, ut jamjam diximus, induit. Temperamenti etiam specie, vel ipsius influxu assignando, affectuum genus, externorum vel internorum sensuum actio reactioque quamplurimi studenda sunt. Porro propria sentiendi ratione, corporis signis externis quibusdam respondente, determinationes organicæ subligantur. Qua causa faciliores in sanguineis, altiores in biliosis, rariores pituitosis continuo videntur ideæ; et tum ridentes ad benevolentiam, generositatemque vergentes, tum tristitiæ contra et exclusorii studii apparatu procreantur... Sanguinei facilitate et nervei subtilitate temperamenti fruitur una mulier: tam ingeniose se habet ipsius animus, quam corporis habitus actioque eleganter evadat. Hinc lenes proclivitates, filialis, conjugalis vel maternus amor, et constans (quamvis ope varians) voluptatis studium, tanquam propriam indolem denuntians. Melancholicus vero in incœptis pertinax, et laboriosus videtur; ad meditandum ordinandumque melius ideas suas solitudinem expetit, et homines accuratissime devitat. Mortalium plus mala quam societatis præsidia explorat: sæpe-sæpius rem ipsius tantum considerans, et vitæ bonis despectis, orbem terrarum subjecit pedibus.

X L. Si climatis propria morbos generant, temperamenti genio mali progressio sane obtemperat. Idcirco athletica corpora, gravioribus affectionibus, peracutissimis inflammationibus, syphilide, rheumatismo acuto, etc. quamplurimum cruciantur: dum pituitosa morbis chronicis, scrophulis, bronchocele (Alpium, Pyrenæorum vallibus endemicis) febri miliari (Romania) herpetibus, lepra (Suecia, Tartaria) plica (Polonia, Russia, Tartaria) pellagra (Longobardia Austriaca) phthysi tuberculosa, fluoribus albis, hydrope, obstructionibus longe laborant. Sed sensiliores homines præcipue patiuntur morbos malignos, innumeros chronicos affectus, nerveos scilicet, convulsivos, melancholicos, hypocondriacos. Temperamento biliosi nuncupato, febres biliosæ, hepatitis, ycterodes, febres ardentes, phrenitis certe equidem propagantur (1).

X L I. Suapte ductæ institutiones politicæ, temperamenti generalis characteri obtemperant: imo gentium vicissitudines cuidam phisicæ constitutionis permutationi respondent. In societatum origine gubernium, ruditatem et inclementiam sistens, ducibusque immansuetis et corpore validissimis institutum, populos acerbos dirosque decet. Tunc temporis vis physica pollet omnia, omniaque ordinat. Hominum sensi-

(1) Utrumque biliosum et pituitosum temperamentum obstructionibus, autumno grassante, quam maxime, obnoxium est. . . . . Percontinuæ mutationes atmospheræ, perspirationem cutaneam tunc temporis dimovent, et ad abdominis glandulas, debilitatis et vasorum imi ventris depletionis causa, humorem repulsum expellunt. Istius fluidi gressioni opponitur chilosis; hinc infarctus, obstructiones, et morbi ex illis pendentes.

bilitate magis expensa, conditio melior deinceps expetitur: quæ dispositio tyrannorum regimen evertit. Sin alia ratione nationes progrediuntur aliquoties, summæ potestatis matura compressio hunc rerum consensum negat: et conversionibus prospicientes, legibus mitioribus principes, subjectos cito subnectunt. Etiam si in quindecimo sæculo, hæc in Gallia potius se habuissent, civium contentiones non tam misere fœdassent imperium. Sane id suscipiunt Russiæ imperatores magnatesque, dum hominibus olim servis, sed jamjam sensilioribus, libertatem restituunt.

XLII. Ultima, ni fallor, Gallica succussio, ex sensibilitate, honorum inæqualitate exasperata præcipue evasit. Nam merx prospera mercatorum opes cumulaverat, dum natu nobiles divitia minori, primariis dignitatibus gaudebant. Pro origine honoratissimos inter, et ingentibus et tantis impensis graviores homines, equilibrium nec pax existere nequebat.

XLIII. Gubernium ergo populi, directe a temperamento, a climate indirecte tantum manat. Magistratuum varia successio, in regione eadem sententiam meam aperte confirmat. Roma reges, consules, dictatores, imperatores habuit etc. etc.

XLIV. Sic merito asseri potest. 1.° Homines validi, animosi et vis sui sensionem percipientes, potestate temperata solummodo regi solent. (Helvetii, Belgi, Angli in exemplum afferuntur.) 2.° Sensilior populus magistratum tantillum immitem pati potest; sed nervosorum febricitantium instar, paroxismis vel exacerbationibus sæpe-sæpius turbatur. 3.° Populus hebetatus imbellis, diri imperii jugum fert, propter rebellionis excitandæ timorem et impotentiam: adeo segnes et inertes monstrantur subjecti.

INSTAR EPILOGI

THESES.

I. CLIMATIS influxus negari non potest.

II. Istius studendæ varietates, methodi filo ordinandæ sunt:

III. Septuplex partitio generatim includit omnes: et glacialis, borealis, autumnalis, vernalis, æstivalis, australis, torridi Climatis nomenclatio congruit.

IV. Præcipua quoad Climata hominum distinctio ex sensibilitatis natura deducenda est.

V. Juxta thesim istam Temperamentorum series proposita; nimirum athletici, lymphatici, sensilis, irritabilis, *apathici* variis Climatibus accommodatur.

VI. In statu naturali propria vi plenius gaudet cœlum.

VII. Hujusce effectus cum hominum mentis ad perfectionem tendentia consonantes, influxum ipsius sufflaminant.

VIII. Religione, gubernio, artibus tum liberalibus, tum mechanicis, primæva constitutio populorum permota fuit. Et quamvis hæc omnia primario sæpe-sæpius a Climate manassent, pueri jamjam increscentis instar, maternam influxionem permutarunt, et regerunt.

IX. Scientiarum progressio ex sensibilitatis charactere modos accipit. Quapropter sensilitate minori disciplinas physicas,

et sentiendi eximia facultate artes imitatores, homines colunt.

X. Vinculo semper et continuo ligata, compagis viventis phænomena, effectibus effectus copulant. Etenim modo ex influentibus homo temperamentum induit, verum externa omnia, sensibilitatis proprio marte, subinde regit ac submittit.

XI. Prævia thesi posita, ideæ, proclivitates, morborum gressio, sæpe-sæpiusque natura, et institutiones politicæ cum temperamento clare consentiunt.

FINIS.